

Name:                      Korr.1:                      Korr.2:                      Fehler:                      NP:                      Note:

*Cicero würdigt in einer philosophischen Schrift seine sehr enge Verbundenheit zum gerade verstorbenen Scipio.*

1. Quamquam Scipio mihi est subito ereptus, vivit tamen semperque vivet; virtutem enim amavi illius viri, quae extincta non est. 2. Nec mihi soli versatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui, sed etiam posteris erit clara et insignis. 3. Nemo umquam animo aut spe maiora suscipiet, qui sibi non illius memoriam atque imaginem proponendam (esse) putet. 4. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis possim comparare. 5. In hac mihi consensus de re publica, in hac rerum privatarum consilium, in eadem requies plena oblectationis fuit. 6. Numquam illum ne minima quidem re offendi, nihil audivi ex eo ipse, quod nollem; una domus erat, idem victus isque<sup>1</sup> communis, neque solum militia, sed etiam peregrinationes rusticationesque communes.
7. Nam quid ego de studiis dicam cognoscendi semper aliquid atque discendi? 8. In quibus -remoti ab oculis populi- omne otiosum tempus contrivimus. 9. Quarum rerum recordatio et memoria si una cum<sup>2</sup> illo occidisset, desiderium coniunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem.
10. Sed nec illa extincta sunt alunturque potius et augentur cogitatione et memoria mea.

---

<sup>1</sup> isque – und zwar.

<sup>2</sup> una cum – zusammen mit.